

D. A. G.

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

**POENIS
DELICTORUM
INTENTATORUM,
NON
PERFECTORUM,**

QUAM

*Consensu Amplissimæ FACULTATIS Philosophicæ
in Regia ad Auram Academia,*

PRÆSIDE

**MAG. JOHANNES
BILMARK,**

*Histor. & Phil. Pract. PROFESS. Reg. & Ord.
nec non Reg. Acad. Aboëns. h. t. RECTORE,*

Publico examini modeste subicit

CHRISTOPHORUS ROOS,

NYLANDUS,

IN AUDIT. MAJORI DIE XVI MAJI ANNI MDCCLXX,

Horis ante meridiem consuetis.

ABOÆ Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

VIRO

Amplissimo atque Consultissimo,

**DOMINO JOACHIMO
VON GLAN,**

Supremi per Magnum Ducatum Finlandiæ Dicafterii
Regii ADSESSORI Gravissimo,

MECENATI ET PATRONO OPTIMO.

Patiaris precor, VIR AMPLISSIME, præsentem hanc
ce opellam, de pœnis delictorum intentatorum,
non perfectorum agentem, ex NOMINE TUO
CELEBRATISSIMO lucem, qua ipsa destituitur, fo-
nerari. Digna quidem non est, quæ TIBI offeratur;
sed ratio, cur id facere ausus sim, haud e longin-
quo est petenda; nec unica eadem est. Dum plu-
rima enim illa certissimaque favoris & benevolentiae do-
cumenta, quibus TU, PATRONE OPTIME, & Patriam
domum & me ipsum semper cumulare voluisti, pia-
mente recolo, fieri non potest, quin animum meum
pro-

prolixa Tui occupet veneratio. Sed sicut meritis
Tuis in me maximis prædicandis tenuis, qualis
mea est, industria non sufficit; ita nec devotam,
qua Te jugiter prosequor, pietatem rite declarare
valeo. Suscipias tamen, humillimus oro, voluntatem
pro re ipsa, affectum ponderes non verba. Adspi-
cias quoque opusculum hocce, juvenilis ingenii fœ-
tum serena, ut semper adsoles, fronte; utque me
patrocinio Tuo exoptatissimo in posterum tue-
ri digneris, cernuus oro atque contendo. Ego vi-
cissim pro perenni TUA felicitate vota fundam fla-
grantissima, velit summus ille rerum Moderator Te,
AMPLISSIME VIR, omnigena felicitate maectatum in
annos bene multos conservare. Vivas MÆCENAS
MAGNE, bono reipublicæ diutissime: valeas prosperri-
me. Habebit sic, de quo sibi gratuletur Alma Themis,
sentiet vindicem justitia gravissimum. Faxit DEUS,
ut de Te, tanto præsidio & ornamento, jugiter læ-
tetur familia nobilissima. Clientes denique PATRO-
NO gaudeant maximo, fulcro firmissimo. Sic ex in-
timo vovet pectore

AMPLISSIMI NOMINIS TUI

cultor humillimus

CHRISTOPHORUS ROOS.

VIRO *Admodum Reverendo atque Praclarissimo,*

DOMINO ELIÆ ROOS,

Ecclesiarum, quæ DEO in Kisko & Suomusjerivi colliguntur,
PASTORI meritissimo.

PARENTI INDULGENTISSIMO.

Quantum parentibus debeant liberi, quantumque illis hi ob-
stricti sint, nemo est, qui ignorat. Hæc, INDULGENTISSIME
PARENS, dum mecum perpendo, imprimis vero qui TUUS in me
nullo non tempore fuit amor, quæ cura atque benevolentia, non
possum non animo confundi: & cum non tantum, quæ TIBI re-
pendam, non habeam, sed copiam beneficiorum et jam inopiam ef-
ficere verborum statim animadvertam, quid dicam? nescio. Tot
tantaque paterni TUI in me affectus omni ætate exstare voluisti
documenta, ut eadem ne animo quidem complecti, nedum debi-
tis prosequi valeam encomiis. Tu mihi vitæ Auctor es, TI-
BI educationem inde a teneris acceptam refero. Refero pagel-
los has ceu fructum TUÆ liberalitatis, & studiorum meorum
qualescunque primitias, quas TIBI vicissim submissa jam men-
te consecratas volo. Has placido si acceperis vultu, quod
humillime oro, & devotæ pietatis agere permiseris interpre-
tes, supra modum me felicem judicabo. In votis mihi sem-
per erit, dignetur DEUS T. O. M. TE, INDULGENTISSIME
PARENS, una cum MATRE CARISSIMA bonitatis suæ clypeo
protegere, servet Vos salvos, sospites & omni felicitatis genere
cumulatissimos in longam annorum seriem, ut TU, PATER IN-
DULGENTISSIME in emolumentum patriæ, Ecclesiæ, cujus com-
modis TE devovisti, utilitatem, omniumque nostrum, qui TUI
sumus, gaudium atque solatium certissimum, venerabiles ge-
ras canos. Ita ex toto pectore vovet vovebitque

PARENTIS INDULGENTISSIMI

Filius obedientissimus

CHRISTOPHORUS ROOS.

§. I.

Quamvis tenerrimum sese conservandi ac felicitatem suam promovendi studium animis singulorum hominum indiderit Benignissimum Numen, omnesque facile animadvertant, quam necessarium sit, alios sibi ita devincire, ut illorum opera pro re nata frui queamus; dantur tamen, ceu quotidiana fere comprobatur experientia, haud pauci, salutis suae adeo negligentes, ut alios non modo lacescere, sed laedere etiam non dubitent, si tantum invidiae ac malitiae suae stimulis ita satisfacere queant. Revocat quidem ipsos ab his actionibus rigidus ille Rhadamanthus, qui factis nostris jugiter invigilat, Conscientia; ostenditque, calamitates promeritas illis imminere, qui legem Divinam temere violent, atque vitiis sese polluant; sed quum poenae Divinae lento subinde pede insequantur facinorum auctores, nec horum in prava quaevis impetum oportune sistunt. Quare cum genere humano brevi tempore actum fuisset conclamatumque, nisi alia insuper ab hominibus inventa fuissent repagula, quae malefarios ita coercerent, ut officiorum gyrum absque praesenti molestiarum sensu egredi non possent. Poenam loquor, qua velut Circaea quadam virga tacti maligni mitescunt, atque intra debita aequi justique pomeria continentur. Postquam igitur civitates institutae fuerunt, simul ab integra societate est decretum, ut Princeps, qui leges, ad communem salutem confirmandam pertinentes, ferret, simul quoque jus haberet, illis, qui suis malefactis se civitati inimicos esse ostendunt, aliquid ipsi naturae inimici &

adverſi proponendi atque infligendi; ita quidem, ut doloris ſenſus ex perpetrato facinore ſuperaret frivolam voluptatem, qua in delicto perpetrando gavifi fuerant. Pœna igitur communiter a Philoſophis definitur, quod ſit malum paſſionis, quod infligitur propter malum actionis ex decreto ſuperioris. Et merito quidem pœnæ & qualitatem & quantitatem definitet Magiſtratus; ſi enim pars læſa pœnam ipſa ſumere poſſet, exulcerati pectoris vehementiam, non autem æquitatem, ſequeretur: quomodo turbaretur, non confirmaretur, civium deſiderata tranquillitas. Adde denique, quod in pœnis irrogandis maxima opus ſit prudentia atque circumſpectione: neque enim pœnæ, malitiæ emendatrices, rigidius, quam par eſt, exigentur, nec illæ juſto erunt leviores. Sicut enim illis maleferiati redduntur pertinaciores & aliorum excitant commiſerationem; ita etiam hiſ a perpetrandis ſceleribus non deterrentur feroces Harpyjæ.

§ II.

Evidta jam pœnarum neceſſitate, ut ad propoſitum noſtrum propius accedamus, evolvenda prius ſunt reliqua vocabula, quæ in frontiſpicio diſſertationis noſtræ occurrunt. Si igitur attendamus ad actiones humanas, deprehendemus, eaſdem ex variis quaſi momentis, ut phraſi Mechanicorum utamur, conſtare; quibus ſit, ut effectus nunc reſpondeat intentioni agentis, nunc eandem vel ſuperet vel etiam eadem minor ſit; jam aſios alioſque intermedios effectus diſponat agens, antequam effectum ultimum, ad quem magnopere contendit, adſequatur. Quod ſi igitur intentio dicatur A, & intermedii effectus nuncupentur B, C, D, quorum B, gravior quam A, C gravior quam B, & ita porro; e-
vi-

videns est, quod in æstimanda actionis moralitate gravius sit agentis crimen, si momentum fuerit $A+B$, quam si A ; & gravius si $A+B+C$, quam si $A+B$. Enimvero docet experientia, quod in delicto perpetrando fieri possit vel interventu aliorum hominum, vires agentis valide cohibentium, vel etiam benigna fortuna, vel quod ad meliorem interea redierit frugem, ut finem intentum non adsequatur, sed vel statim vel post momenta $A+B$, aut $A+B+C$, subsistere cogatur, & tunc actio dicitur solummodo *intentata*, quæ *perfecta* evadit, quando malitiæ suæ plene satisfacere potest. Exemplo res clara fiet adhuc clarior. Pone furem, qui sibi proponit aliorum bona auferre, quæ ipsius intentio æquivalet A ; si autem fur sibi compararet instrumenta, quibus fores perfringat, moralitas actionis est ut $A+B$; si perseveret & fores reapse perfringat, moralitas æstimatur ex $A+B+C$; si alios resistentes interdiripiendum lædat, habet se moralitas uti $A+B+C+D$, & sic porro. Si autem contingat, ut fur post A , vel $A+B$ &c. aut sponte subsistat, aut subsistere cogatur, nec delictum plene *perficere* possit, delictum est tantummodo *intentatum*, non *perfectum*. Unde patet, quod in actione prava intentata varii dari queant malitiæ gradus, prout conatus vel remotior vel propior fuerit effectui intentato.

§. III.

Sicut actiones humanæ non sunt æque momentosæ; ita quoque ipsa jubet æquitas, præcipiuntque Philosophi, ut *penæ sint delictis proportionales*. Ponas enim actionem quamcunque, deprehendes eandem pluribus circumstantiis, quæ singula in æstimanda actionis moralitate in censum venire debent, esse gravidam; jam enim considerandum erit ipsum objectum, quod quo

nobilis ac præstantius fuerit, eo gravior etiam habenda est actio, jam iterum expendendus est finis, agendi modus, locus, tempus, quin & ipsius personæ delinquentis ratio est habenda, immo omnes hæ circumstantiæ communiter considerationem iudicis subeunt. Quamobrem quum in delicto ex singulis hæc momentis in agentem resultare debeant præmerita confectaria, alioquin enim iustitiæ, sine qua ne latronum quidem caterva, nedum integra consistere potest civitas, non satisfiet; igitur summa confectariorum, modo memoratorum, erit uti summa circumstantiarum circa actionem obversantium, ceu quod eodem recidit, pœna quælibet erit delicto proportionalis. Et si una vel unica circumstantia delinquendi voluntatem arguat, adeoque ad actionem malam sufficiat; nullum tamen est dubium, quin quo plures aggravantes rationes concurrant, eo vehementior fuerit agentis ad peccandum nisus, & quo pronior nisus, eo etiam longius distet actio a norma legis, eo etiam plus turpitudinis ac deformitatis in se contineat. Quamobrem etiam Moralistæ peccatum cum curvitate lineæ plerumque comparare solent; sicut enim varia est curvæ lineæ a recta deflexio, sic variam quoque a lege, tamquam norma, actionis distantiam esse docent. Enimvero salus & tranquillitas publica requirit, ut hæc curva linea ad rectam, a qua deflexit, redigatur, quod quum actione ei contraria, qua curvedo facta est, præstari debeat; evidens est, quod tanta esse debeat pœna, quanta sufficit ad metum maleferiatis incutiendum & ad reprimendam peccandi libidinem. Unde rursus conficitur, pœnas esse debere delicto proportionales. Quam propositionem si quis non admiserit, ponat necesse est, pœnas peccatis vel majores vel minores, quorum utrumque repugnat ordini & felicitati civili. In priori enim casu excitantur maleferiati ad peccandum, dum eadem pœna magnis de-

delictis ac levibus erratis imminet; in posteriori tantum abest, ut dilutior sanctio pœnalis hominum vecordiam nocendique cupiditatem reprimat, ut eam irritet magis & ad peccandum veluti invitet. Quorum utrumque quum fini civitatis e diametro repugnet; reliquum est ut statuamus, inter pœnas & delicta dari proportionem. Quamvis autem ita in confesso sit, pœnas habere rationem delictorum, non tamen propterea sequitur, hanc proportionem ad Mathematicum rigorem exigi ac determinari posse; siquidem pœna, quæ uni tolerabilis videtur, alterum ita affligat, ut eadem ipsius vitæ jactura multo gravior habeatur; quare ob difficilem singularum circumstantiarum æstimationem pœna absque latitudine quadam majori vel minori a Principe non determinatur. Addimus insuper, quod necessarium non sit, ut pœnæ semper sint delictis homogeneæ, quo ipso jus Talionis arctioribus circumscriptum volumus limitibus; siquidem sufficiat, ut pœna æstimatione civili æquivalet damno vel dolori, quem ex malefacto sensit læsus. Ex his allatis constat, quam infirmo pede nitatur paradoxon Stoicorum, statuentium: *Omnia peccata esse æqualia*, contra quos disputat HORATIUS *Satyr. Libr. I. Satyr. 3. v. 115*, ubi ita canit: *Non vincet ratio hoc tantumdem ut peccet, idemque - - Qui teneros caules alieni infregerit borti - - - Et qui nocturnus divum sacra legerit. Adsit - - - Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas, Ne scutica dignum horribili sectere flagello*. Patet etiam, quod veteres nonnulli rerumpublicarum fundatores immane quantum erraverint, dum singulis delictis eandem statuerint pœnam, scilicet capitalem: quo errore DRAGONEM, Atheniensem Legislatorem, in transversum fuisse raptum constat, qui mortis supplicio quævis vindicavit delicta; cujus proinde leges non hominis, sed draconis esse, quis non præter rationem dixit.

§. IV.

Ex his nuper allatis sequitur, quod tranquillitatis publicæ omnino intersit, ut actiones etiam intentatæ puniantur. Quum enim pœnæ esse debeant delictis proportionales; igitur quum in actione intentata, qualem nempe §. II. definivimus, plures subinde occurrant circumstantiæ, a legis norma declinantes, ex quibus in summam collectis quantitas delicti æstimatur; manifestum est, quod delicta intentata pœnas mereantur, quamvis sine ultimo præter spem exciderit agens. Quam propositionem sic adhuc demonstramus. Homines, in civitatem commigrantes, sese valide obstrinxerunt, ut ea omnia efficerent, quæ ad communem pertinerent felicitatem, ita quidem ut in mandatis Principis ac legibus latis tergiversantes pœnas subirent tantas, quantæ sufficerent ad malefactorum peccandi aliisque nocendi libidinem compescendam. Quare quum quis intentat delictum, non solum pravitatem ingenii prodat, sed etiam actibus externis efficiat, ut alter minus justo habeat, adeoque lædatur; evidens est, quod intentatæ actiones tranquillitati publicæ officiant, ideoque convenientibus pœnis mactari debeant. Enimvero quum leges civiles tantum respiciant actiones hominum externas; cujusvis autem propositum, quippe alta mente repositum, nemo detegere possit, nisi agens malefactis illud prodiderit, sequitur, quod nudi propositi declinatio a lege in foro humano sit imperceptibilis, adeoque nec illud, simpliciter spectatum, lege vindicari possit. Quamvis enim DEO nihil magis invisum, quam mens impura & ad flagitia prona, ipseque malos pro meritis puniat; justissimo tamen illius judicio relinquendam esse curam pœnarum, quas promeruerunt nudæ cogitationes, arbitramur. In foro humano sententiam gravissimi CATONIS, quam

GELLIUS adfert, obtinere debere existimamus: *Quis est, inquietis, qui æquum censeat, quemquam penam dare ob eam rem, quod arguatur male facere voluisse. Facta sola sunt censenda atque in iudicium vocanda; voluntates nude inanesque negligendæ, in Noët. Attic. Libr. VII. C. 3.*

§. V.

Sicut rationi conveniens esse ostendimus, ut pœnæ statuantur delictis intentatis, licet non perfectis; ita quoque animadvertimus, quod in isthanc sententiam præstantissimi iverint Philosophi. Juvat duorum tantum adducere testimonia, sed quos, tamquam Argyraspidas, omnis veneratur ætas. Recte omnino HUGO GROTIUS: *Inchoata delicta vindicanda non sunt, nisi & res sit gravis, & eo progressum, ut ex tali actu certum malum, licet nondum illud, quod intendebatur, secutum jam sit, aut certe ingens periculum (a).* Huic pollicem premit PUFENDORFIUS, qui docet, quod in æstimanda pœna, delictis imponenda, primum locum obtineant delicta consummata, postremum quæ ad actus aliquos, non tamen ad ultimum processerunt; in quibus tanto quodque est gravius, quo ulterius processit. Ubi observandum, pergit, naturaliter propositum & desiderium, facinus aliquod patrandi, baudquaquam pari gravitate cum ipso facinore perfecto censeari posse; quippe quum longe atrocior sese mali facies animo repræsentet, quando cominus ad ipsum patrandum facinus acceditur, quæque adeo obstinato animi proposito superanda est, quam ubi eminus adhuc de facinore cogitatio suscipitur (b). Quorsum pertinet canon veterum juris Consultorum: *Quod adfectus non puniatur, nisi sequatur effectus.*

(a) Vid. Libr. II. de Jure B. & P. Cap. 20. (b) Conf. de Jure Nat. & Gent. Libr. VIII. Cap. 3. §. 8.

§. VI.

His autem consona non sunt vel aliorum Philosophorum placita, vel instituta quorundam populorum, præsertim Romanorum, quippe quæ eo redibant, quod punienda essent non solum delicta inchoata; sed ipsam etiam malefaciendi propositum, quod in actum nondum erupit, pœnis subesset. In quam nimis rigidam Philosophiam incidisse videntur ex doctrina Stoicorum, statuentium, omnia delicta esse inter se æqualia. Præterea vero opinionem suam variis corroborare nituntur rationibus, quarum præcipuam hanc censemus, quod crimen moraliter sit perfectum, quando quis malefacti executionem animo concepit. Fatemur omnino speciosum hoc primo intuitu esse argumentum; si autem accurate rem perpendamus, in aprico erit, nostros ita non turbari circulos. Quum enim moralitas actionis ex indole singularum circumstantiarum, quibus illa est gravis, aestimari debeat; evidens est, quod crimen per solum propositum non sit moraliter perfectum. Deinde esto, delictum hoc modo moraliter esse perfectum, sicut sceleratus nihil plane omiserit, quominus effectus ex intentione ultimus sequatur, illud tamen ad pœnam ordinariam irrogandam non sufficit; iudicis enim non est, moralem illam consummationem spectare, sed Physicam. Siquidem Philosophi scelera mente metiri, iudicis autem est manu, id est, quatenus de corpore delicti constat. Placet igitur CICERONIS sententia: *Aliter Leges tollunt astutias, aliter Philosophi; leges quatenus manu tenere possunt, Philosophi quatenus mente & intelligentia (a).* Hinc notissima regula judicialis: *Quod si de corpore delicti non constat, ordinariam pœnam pronunciare non licere.* In conatu autem licet proximo, adeoque in crimine moraliter, uti putatur, perfecto, nondum adest inten-

intentatum corpus delicti; homicidium enim nullum est, si homo adhuc incolumis vivit; veneficium nullum est, si veneno nemo est interfectus; furtum nullum est, si legitimus possessor opes suas teneat; quamobrem minus recte faciet iudex, si his in casibus æqualem poenam, ac si perfectum fuerit crimen, infligere vellet. Poenæ enim per leges delictis constituuntur consummatis; hisce vero conatum seu propositum non posse accenseri, vel per se est manifestum. Quando igitur contendunt dissentientes, quod per propositum crimen moraliter sit perfectum, hic certe canon ad forum humanum extendi nequit. Proinde dum proverbio dicitur, propter conatum nemo punitur, ingen plistar för tilsbud, vel de actionibus licitis atque honestis sermo est, quorsum spectat versus: *Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas*, vel si delicta in censum veniant, restringenda est regula ad solum propositum. Denique, ut monuimus, contendunt nonnulli, nostram sententiam repugnare institutis Romanorum; quod si daremus, non inde tamen sequitur, eandem etiam recte rationi repugnare; siquidem Legislatores Romani ab æquitatis tramite non raro recesserint. Videamus autem quasdam harum legum. Sic perhibetur, quod sola cogitatio de lædenda Majestate capitali poena expiari debuerit. Sed unde, quæso, constitit, aliquem crimen læsæ Majestatis animo concepisse, nisi voluntas signo quodam externo fuit declarata; adeoque non erat solum propositum, sed inchoatum, licet non perfectum, delictum, quod utique poena dignissimum; siquidem non de unius salute agitur, dum Princeps in discrimen vocatur, sed tota simul periclitatur respublica, cum in Principis salute salus requiescat publica. Similiter filius, venenum emens, Patri claturus, ut parricida punitur, licet dare non potuerit. Sed si & hoc exemplum probe perpendamus, non nu-

dum fuit propositum, sed idem actu quodam maligno insuper declaratum, quod pœna jure meritoque mactatur. Quis enim ab æquitate alienum diceret, conatum etiam remotum facere capitalem, dum liberi ante dies in patrios annos inquirunt; siquidem omnem humanitatem exuisse videantur, qui eos, quorum beneficio amœnissimam hanc lucem adspiciunt, ejus usu privare, sibi religioni non ducunt.

(a) *Vid. Libr. III. de Officiis Cap. XVII.*

§. VII.

Supereft adhuc, ut pro instituti ratione paucis dispiciamus, quid de delictis intentatis quidem, at non perfectis, statuam leges Patriæ. Sed quoniam immensa fere dicendorum copia heic sese nobis offerat, pauca tantum exstantiora exempla, fini nostro inservientia, in medium attulisse juvabit. Quod si igitur ignotus accedat, nomen statumque suum mentiens, & dolosa hac machinatione ad ineunda sponsalia inducatur fœmina, impostor octoginta thaleris mulctetur, omnia etiam donata læta cedant, & sponsalia sunt invalida. *S. B. C. IV. §. 6.* Si quis arma contra patriam gerat, aut aliquam violentiam Regi vel familiæ Regiæ inferre vel si provincias aut cives &c. prodere emolliatur, & si noxa non sit secuta, proditor tamen & omnes sceleris complices, nihilominus vitam, famam & bona perdant. *M. B. C. IV. §. 1.* Si quis coitum cum bestia habere intentaverit, etsi flagitium non perpetraverit, sed tamen in procinctu fuerit, infandam hanc perpetrare abominationem, dimidium anni cum collari ferreo operæ publicæ damnatur. Vel etiam longius tempus secundum rei circumstantias. *M. B. C. X. §. 2.* Incendiarii in flagran-

granti delicto comprehensi, virgarum viginti tribus, virgularum octo & decem paribus, vel carcere, aqua & pane viginti dies mulctentur, licet nulla secuta sit noxa. *M. B. C. XI. §. 4.* Si quis fata sibi ipsi accelerare voluerit, etsi hoc nefario excidat conatu, carcere, aqua & pane vel virgis secundum circumstantias facti puniatur. *M. B. C. XIII. §. 4.* Si meretrix abortum procurare annisa sit, licet eventus fuerit frustraneus, centum thaleris vel corporali poena mulctetur. Si partum exponat in agro vel platea, sed illæsus evadat, nihilo secius ad certum tempus mancipetur carceri, secundum circumstantias delicti, *M. B. C. XVI. §. §. 4. 5.* Si quis venenum alteri propinet, licet mors dolum non sit secuta, nihilominus mortis supplicio mulctetur. Qui eo consilio venenum parat, quo alium e medio tollat, sed antequam in effectum facinus fuerit deductum, reus comprehendatur, mulctetur centum thaleris aut corporali poena puniatur. *M. B. C. XVII. §. §. 1. 3.* Ex quibus omnibus allatis dilucide apparet, quod sapientissimi nostri Legislatores poenas statuerint delictis intentatis pro ratione conatus remoti vel proximi variam, minorem tamen, quam perfectis.

§. VIII.

Habes ita, Benevole Lector, specimen Academicum, quod Tibi tradere constituimus. Accipias illud sereno, si Tibi placeat, vultu; vel si singula momenta Tuo non convenient palato, mitiorem agas censorem, persuasus, quod maturior ætas maturiora dabit. Tuæ interim, O Alme DEUS, in posterum, ut hætenus, paternæ memet trado curæ: Tu fata mea, ut nihil Te est benignius, ita dispensabis, ut ex eis accedat & Patriæ & meæ salutis augmentum & NOMINI TUO LAUS, HONOR, ET GLORIA IN ÆTERNUM.



DOMINO AUCTORI.

Postquam cognovi TE, Politissime Domine, Sacris
THEMIDIS initiari cupientem, publicum pro-
gressuum specimen ex rostris Academicis fore defensurum;
non potui quin vel quasdam in hoc monumento char-
taceo ducerem umbras illius, quo TE prosequor, adse-
ctus integerrimi. Et cum ingenii, quo gaudes, acumen,
industriceque illa laus, quam in flore jam ætatis TIBI
comparasti, Castalidum TIBI conciliaverint favorem; i-
ta nullus omnino dubito, quin Alma THEMIS caris
TE amplexibus sit exceptura. TE enim eadem opera
indefessa in cœdibus ejus versaturum, qua delubra Mu-
sarum colueris, testantur præsentæ plenæ matericæ &
soliditatis paginae. Quapropter egregias TIBI gratu-
lor ingenii dotes, egregiam illarum culturam! Faveat
Supremum Numen inceptis TUIS! Sit transitus ad THE-
MIDIS subfella felix! Succedant labores, ad quos
perferendos sedulus properasti, Ipsimet TIBI commodo
& TUIS oblectamento!

Gratulabundus scripsit

S. RINGBOHM.

HONOR ET GLORIA IN ÆTERNUM